



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

De coniugio Sacerdotum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

De utraq; specie.

IAicis datur vtraq; species Sacramenti in Cœna Domini, quia hic mos habet mandatum Domini Matth. 26. Bibite ex hoc omnes. Vbi manifestè præcepit Christus de poculo, vt omnes bibant, & ne quis possit cauillari, quod hoc ad Sacerdotes tantum pertineat, Paulus ad Corinth. exemplum recitat, in quo apparet totam Ecclesiam vtraq; specie usam esse. Et diu mansit hic mos in Ecclesia, nec constat, quando aut quo auctore mutatus sit, tametsi Cardinalis Cusanus recitet, quando sit approbatus. Cyprianus aliquot locis testatur, populo sanguinem datum esse. Idem testatur Hieronymus, qui ait, Sacerdotes Eucharistie ministrant, & sanguinem Christi populis diuidunt. Imò Gelasius Papa mandat, ne diuidatur Sacramentum, Dist. 2. de Consecratione, cap. Comperimus. Tantum consuetudo non ita vetus aliud habet. Constat autem, quod consuetudo contra mandata Dei introducta, non sit probanda, vt testantur Canones, Dist. 8. cap. Veritate, cum sequentibus. Hæc verò consuetudo non solum contra scripturam, sed etiam contra veteres Canones & exemplum Ecclesiæ recepta est. Quare si qui maluerunt vtraq; specie Sacramenti uti, non fuerunt cogendi, vt aliter facherent cum offensione conscientiæ.

Et quia diuisio sacramenti nos conuenit cum institutione Christi, solet apud nos omitti processio, quæ hactenus fieri solita est.

De coniugio Sacerdotum.

PVblica querela fuit de exemplis Sacerdotum, qui non continebant. Quam ob causam & Pius Papa dixisse fertur, fuisse alias causas cur ademtum sit Sacerdotibus coniugium, sed multò maiores esse

causas cur reddi debeat. Sic enim scribit Platina. Cùm
igitur Sacerdotes apud nos publica illa scandalata vita-
re vellent, duxerunt uxores, ac docuerunt, quod liceat
ipsis contrahere matrimonium. Primum, quia Paulus
dicit: Vnusquisque habeat uxorem suam propter forni-
cationem. Item, Melius est nubere, quam viri. Secundò
Christus inquit: Non omnes capiunt verbum hoc, ubi
doceat, non omnes homines ad cœlibatum idoneos es-
se, quia Deus creauit hominem ad procreationem
Gen. 1. Nec est humanæ potestatis, sine singulari dono
& opere Dei creationem mutare. Igitur qui non sun-
t idonei ad cœlibatum, debent contrahere matrimonium.
Nam mandatum Dei, & ordinationem Dei, nullum
lex humana, nullum votum tollere potest. Ex his cau-
sis docent Sacerdotes sibi licere uxores ducere. Con-
stat etiam, in Ecclesia veteri Sacerdotes fuisse maritos.
Nam & Paulus ait Episcopum eligendum esse, qui si
maritus. Et in Germania primum ante annos qua-
dringentos, Sacerdotes vi coacti sunt ad cœlibatum
qui quidem adeò aduersati sunt, ut Archiepiscopus
Moguntinus publicaturus edictum Rom. Pontifici
de ea re, penè ab iratis Sacerdotibus per tumultum
oppressus sit. Et res gesta est tam inciuliter, ut non so-
lum in posterum coniugia prohiberentur, sed etiam
præsentia, contra omnia iura diuina & humana, con-
spiciles etiam Canones factos, non solum à Pontifici
bus, sed à laudatissimis Synodis, distraherentur.

Et cùm senescente mundo, paulatim natura huma-
na fiat imbecillior, conuenit prospicere, ne plura viti-
serant in Germaniam. Porro Deus instituit coniugi-
um, vt esset remedium humanæ infirmitatis. Ipsi Ca-
nones veterem rigorem interdum posterioribus tem-
poribus propter imbecillitatem hominum laxan-
dum esse dicunt, quod optandum est, vt fiat & in ho-

nego.

negocio. Ac videntur Ecclesijs aliquando defuturi pastores, si diutius prohibeatur coniugium.

Cum autem extet mandatum Dei, cum mos Ecclesiae notus sit, cum impurus cœlibatus plurima pariat scandalum, adulteria & alia scelera digna animaduersio ne boni magistratus; tamen mirum est, nulla in re maiorem exerceri sauitiam, quam aduersus coniugium Sacerdotum. Deus præcipit honore afficere coniugium. Leges in omnibus rebus publicis bene constitutas, etiam apud Ethnicos, maximis honoribus ornauerunt. At nanc capitalibus pœnis excruciantur, & quidem Sacerdotes contra Canonum voluntatem, nullam aliam ob causam, nisi propter coniugium. Paulus vocat doctrinam dæmoniorum, que prohibet coniugium, 1. Timoth. 4. Id facile nunc intelligi potest, cum talibus supplicijs prohibitio coniugij defenditur.

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus suadet, ut mulieres nubant, que non feruant promissam castitatem. Verba eius sunt hæc, lib. 1. epistola xi. Si autem perseverare nolunt, aut nos possunt, melius est, ut nubant, quam ut in ignem delicijs suis cadant, certè nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. Et æquitate quadam vtuntur ipsi Canones erga hos, qui ante iustum æratem voverunt, quemodo ferè hactenus fieri consuevit.

De Missæ.

Falso accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant, retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur. Seruantur & visitantæ ceremonias ferè omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendū populum. Nā ad hoc unum opus est